

XVI

THESENI
IN
NICOL.
SZYMANOWSKI



BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. Im. Ossolińskich

XVI

2736

D

24873

H. P. Rydzanowski Thelma





N. 7583.

Accus. 17865

THRENI
 IN OBITUM
 NOBILIS ET GE-
 NEROSI ADOLESCEN-
 TIS NICOLAI SZYMANOW-
 SKI, STUDIOSI PHILOSOPHIÆ
 IN ACADEMIA VILNENSI
 SOCIETATIS IESU.

fr. jacobus moysi

INVENTUM EIVSDEM ACAD-
 EMIÆ SCRIPTI.



VILNÆ
 In Officina Academiæ Societatis Iesu
 Christophorus Patro, Anno
 1596.

IN STEMMATA DEFUNCTI.



Dactylion rostro retinens Avis in Cruce fixa
Est iuuenis cui hæc carmina mœsta damus,
Cuius mens semper tendebat ad alta gerenda,
Nobilitas veluti Relligioq; docet.
Est nota Dactylion Generis, Crux Relligionis,
Ast Animum celsum quam bene signat Avis.

Stanislaw Nowski.



AD MODUM REVERENDO
DOMINO D. MATHIÆ KLODZINSKI,
S. Sedis Apostolicæ Protonotario, Præposito Vilen.
Archidiacono Samogitiæ, Scholastico Varsavien.
Canonico Cracouiensi, &c.

STANISLAVE ILOVYSKI S. ET FELICITATEM.

Inopinatus Nobilis ac Generosi Adolescentis Nicolai Szymanowij casus,
quantum animo tuo dolorem attulerit, admodum Reuerende Domine: tum
ex maxima cura tua circa eum, & decumbentem & mortuum, tum ex multis
alijs indicijs colligo, tum deniq; ex meipso metior, qui propter consuetudinem
& conuictionem animi cum ipso multis iam annis contracta, integrè conser-
uata, ac firmata, tantum moerorem ex eius casu concepi, ut aliquem sanguine
coniunctissimum mihi videar amisisse. Vidimus vir amplissime iuuenem omnibus
diuinis & humanis donis cumulatisimum, subito ex oculis nostris abreptum,
agnouimus non sine stupore oraculum illud diuinum, quod nos ad excubias perpe-
tuo agendas admonet, in eius obitu impletum. Quis enim putasset illud robur
corporis, illam plenam & decoram hominis constitutionem, in otio præser-
tim & vita quietâ ac iucunda, in modo viuendi sobrio, tam paruis initijs
morbi tam cito fuisse occasuram? Adhæc natura adolescentis optima, mores
omnibus acceptissimi, decus illud oris & gratia, virtutes omnes in eo con-
spicua, ita cum in animis omnium fixerant ut (quod fieri solet ut ea quæ no-
bis accidere nolumus, nunquam credamus) nullus illi mortem timeret ten-
quam incredibile quid & indignum ratus, tantum decus tam misere vitis
auferri. Aliæ auctori vitæ & mortis, qui bonos melius quam nos solemus
amare, & illis consulere nouit, visum est. Rapuit illum sibi, quis dubitet,
ideo, ne malitia mutaret, aut fictio animum eius deciperet. Nobis verò quan-
tus hinc moeror? quantus luctus? vnum illud solatium, quamuis instar omni-
um, quod tam pie diem extremum clausit, ut nemo nostrum dubitet, quin
eo quo omnes tantis conatibus peruenire laboramus peruenit. Et licet ex-
tra patrium solum, quod vulgus acerbius putat, obierit, tamen tua imprimis
cura et totius Academiæ propensione, ac etiam mea tibi satis nota diligentia
factum

sa. An est ut nihil ei vel in morbo, vel in funere defuerit, quod aut ad corpus
aut ad animum adiuvandum ac procurandum patria illi offerre potuisset.
Fiebat ad eum decumbentem perpetuus nobilissimorum virorum & iuue-
num concursus, & quicunq; aliquid consilio, solatio, opera, arte poterat of-
ferrebat: aderant animi erigendi gratia piissimi & plurimi variarum reli-
giosarum familiarum viri adstant, pernoctabant, coram se dum animam e
corpore egressam agnoverunt, quam etiam satis diu longissimum illud iter
ingressam ferventissimis precibus ad Deum fufis committi sicut. Corpus
vero mortui tam honorifica pompa ad sepulturam deductum, & conditum
est, ut ex splendidissimis huius Academiae atq; adeo huius Urbis ab omnibus
haberetur. Nam sarcophagus a nobilissimis adolescentibus comitibus suis in
PHILOSOPHIA, & in catu sub nomine DEIPARAE in Academia con-
gregato per magnam Urbis partem effusa ad spectaculum multitudinis ge-
batur, praebant longissimi tum Academiae lucentis, tum Religiosarum ali-
quot familiarum, tum sacerdotum ac coetuum priorum, cum Cantibus & in-
signibus lugubribus ordines; Sequebatur illustrium Antistitem non exi-
guus numerus inter quos maxime te & Sedis huius Administratorem vi-
gilantissimum D. BENEDICTVM WOI NAM, laus Illustrissimi
ALEXANDRI COMITIS NUNCIUM APOSTOLICI cingentes
conspicuos cernere erat: hic ubi ad templum lugubri apparatu ad hoc exor-
natum ventum est, ibi obitus Nicolai, imprimis ab aliquot adolescentibus est
deploratus, tum vero sacris solemnibus ritibus peractis, corpus eius in sacello eiusdem
DEIPARAE cui ipse se deuoverat honori dicato, honorifice est recondi-
tum. Cuius quidem adolescentis ut aliqua vite brevis quidem, sed cum laude
actae & peractae memoria, non apud omnes, tum apud amicos eius exaret,
pro eo, quomodo eum semper fui animo, aliqua ex his monumentis quibus pu-
blice profuit, Academia nostra celeberrima suum in eum studium testatum
esse voluit, delinpsi, & sub tua nomine (tum ob tuam in eum qua viuum
prosecutus es benevolentiam, tum ob maximum germani tui Magnifici Do-
mini CASPARIS KLODZINSKI Castellani Vrsogradiensis
patrocinium.) in lucem protrahere simul fore, ut & veri amici ac po-
pularis officio egregie functus viderer, & dolorem tuum, ob eius inffera-
tum discessum susceptum aliquantum mitigarem. Accipe igitur prompto
alacrisq; animo quod offero in viscum, exiguum quidem si tua magnitudo,
non exale tamen si meum ergo te studium perpendatur. Vale.

ORATIO

IN FUNERE GENEROSI

NICOLAI SZYMANOWSKI AB

ANDREA MIEDZYBOZ STUDIO-

SO PHILOSOPHIÆ HABITA

VILNÆ.



Obscurior præmaturæ ac inopinatæ mortis aduentu quàm densissimarum tenebrarum caligine oblectus dies hic, & tam tristi ac acerbò funere deformatus, tantâ nobis mœroris ac luctus copiâ attulit A: ornatissimi, quantam hæc tam aduersa rerû mutatio adferre debuit. Cernimus enim nobilissimum adolescentem Nicolaum Szymanowski, eo ætatis progressu cecidisse, quo tanquam ex arbore fructus, non sua sponte aut maturitate ipsa collapsus, sed vi auulsus esse videretur. O vanas hominum curas! ô inanes spes! ô incerta vota! meritò lachrynis omniû vestrum madent oculi, meritò planctu gemituq; omnia circumsonant, meritò undiq; vociferationes exaudiuntur. Etenim in tanto casu cohibere dolorem, non ingemiscere, non commoueri, quis non immanem quandam duritiem esse putaret? Qualem enim & quantum, quamue non dicam indolis, sed etiam Virtutis p̄ctatisq; ornatu ac splendore illustrem, Adolescentem amissimus? Quare præclarè sanè & ex dignitate sodalitatis vestræ factum est, à vobis Adol. ornat: quod fratris optimi funus, quibuscunq; rebus potuistis, ornatissimum amplissimumue duxistis, quodq; & charitatis in eum vestræ, & doloris quem vobis mors ipsius obiecit, plurimas maximèq; luculentas testimonies dedistis. Et quoniam à me quoq; id munus obiri voluistis, ut die hodierna publicè aliquid verborum facerem, ne quid omnino quod ad eius memoriam exornandam & celebrandam spectat, à vobis

vobis prætermiffum videretur; parebo libens voluntati veſtræ & eius laudes pro ingenii mei tenuitate, breui ac perſpicua oratione explicabo. Vos verò Adol. orn. quibus plerisq; nota ſunt hæc omnia, (toto enim triennio ſempiterna dignus memoria Adoleſcens, in hac Vrbe, id eſt; in hac ingeniorum luce, in hoc ampliffimo totius prouinciæ theatro vixit) nolite quæſo ex iis quæ à me dicuntur potiùs quàm ex iis quæ à vobis ſciuntur, laudes illius ponderare, qui fuit ingenio, doctrina, moderatione vitæ, admirabili ad laudem, ac prope ſingulari: verùm hoc agite, vt quæcunq; à me non ponentur in hac breui oratione, ea vos taciti mentibus veſtris ſubiiciatis, & ſenſu ac cogitatione proſequamini. Sed vnde prius in te ornando ac laudando generoſe Adoleſcens Szymanoſki incipiã: an à patria, genere, parentibus, at hæc certe talia ſunt, vt cum ipſa tibi maximã attulerint laudem, à te quoq; niſi opinione celerius rapereris, accepiſſent proſecto non minorem. Natus enim erat A. in huius potentiffimi ac florentiffimi Regni parte Maſouia, quæ cum cæteris rebus omni laude ac prædicatione digniffimis, tum eo potiffimum nomine maxime celebris eſt: quod fidem Catholicam tanta adhuc conſtantia retinet, vt articulatim ſe potius conſcindi ac comminui pateretur, quam nouum aliquod falſæ opinionis dogma admittere. Natus loco honeſtiſſimo, parente ex vtraq; ſtirpe clariffimo, genere perantiquo ac nobili: natus ea non modo orbis verumetiam totius corporis pulchritudine, vt ex ipſo aſpectu omnis honeſtatis ac virtutis ſpecimen emicaret. Sed hortatur animus iis vt pote minutioribus, in quibus tamen enarrandis veteres maxime occupati eſſe conſueuerant, in partem abiectis, ad maiora id eſt initia diſcendi & educationem puerilem properare. Quam multi ex vobis optime ſciunt Adol. orn: eum quam primum per ætatem licebat, cognitis primis literarũ Elementis intra patrios parietes, parentum iuſſu, à quorum voluntate & conſilio nunquam diſcrepabat, Poltouiã tanquam ad mercatum bonarum artium miſſum fuiſſe, vt iis literis inbueretur quibus iuuenilis ætas ad humanitatem informari ſolet, ibiq; tantum proſeciſſe vt
n magna

in magna annorum immaturitate, maxima mentis ac iudicii ma-
turity, diuinum quiddam potius quam humanum ostenderet.
Deinde ob grauiora studia animo imbibenda, Vilnam veluti ad
præstantissimarum artium certissimum domicilium se contulit:
nactusq; præceptorem omni non modo eruditionis, verum etiam
pietatis genere perfectum ac perpolitum, eum vt parentem cole-
bat, à quo etiam vt filius diligebatur tantamq; sibi sua assiduitate
ac diligentia doctrinam comparauerat, vt omni fama ac prædi-
catione inter cæteros Philosophiæ Studiosos maxime celebra-
retur. Nec immerito, ita siquidem honestis disciplinis vacabat,
vt vna cum eis pietatem coniungendam esse putaret. Dedit enim
nomen in laudatissimam hanc B. Virg. M. Sodalitatem: in qua
ita se gessit, vt Adolescens maturis, tyro veteranis, nouitius exer-
citis, tanquam exemplar continentiæ, frugalitatis, obedientiæ,
innocentiæ, omnis deniq; virtutis reliquis proponeretur. Nec
vero ita viuere cœpit, sed in eo proposito perstitit, neq; perstitit
solùm, sed vterius progressus est, nec progressus tantum, sed in
medio cursu non defatigatus, totum vitæ suæ curriculum seipso
quotidiè melior ac perfectior euadendo transegit, atq; ita quan-
quam in terris positus, versabatur in celo, & cum adhuc nobis-
cum viueret: iam tamen erat ciuis sanctorum & domesticus. His
ille artibus ac virtutibus ita sibi bonorum omnium animos vo-
luntatesq; deuinxerat, vt quanquam ex eius ætate & tempera-
tione corporis probabiliter sperare poterant, diu se illius virtute
fruituros; cuperent tamen omnes si fieri potuisset, partem aliquam
vitæ suæ ei conferre & contribuere, & annis suis annos illius pro-
rogare. Sed quid in rebus humanis firmum, quid stabile, quid ue-
diuturnum reperiri potest? En subito febris exorta, omnemq; me-
dicorum fallen: industriam vires adolescentis immortalitate di-
guissimi ita attriuit ac labefactauit, vt ad extremũ ineuitabilem ei
afferret ex hac vita migrandi necessitatem. In his ille maximis ac
grauissimis torius corporis doloribus toto eo tempore quo loqui
potuit, nil nisi illas voces, ô Iesu, ô Deus, interruptis suspiriis ite-
rabat, Qua verò animi constantiæ morbum hunc & mortem iam
iam

iam imminentē ac certā tulit, quā multas animi vere Christiani
significationes dedit, qua mentis sūmissione peccata sua cōfessus
eorum sibi veniam à Deo & Sacerdote dari petiit, quanta cum
reuerentia Sacrosanctum Christi Corpus excepit, quam placidē
ac patienter sacro oleo perunctus ac delibutus est. Sic instructus
omni viatico quod Christiana religio tribuere ac impartiri solet
homini, quem parat ad mortem, domicilium hoc terrestre cum
cælesti, laborem cum quiete, mortalitatem cum immortalitate
mutauit. Quod si quid, vt humana fragilitas fert, in ipso vitæ
exitu expiandum adhuc eluendumq; superfuit, certo speramus
fore vt tam multis vestris precibus, tam multis Eleemosynis, tam
multis oblationibus & tempus pænæ contrahatur, & ardor mi-
tigetur. Sed iam longior fui quam par est. Quod ergo reliquum
est agite obsecro Adol. ornat. flores ex vniuersa Regni nobilitate
electi, columina virtutis, ornamenta patriæ, prælidia Reipub.
agite, & quem viuum tantopere amastis, & ereptum tanto hono-
re profecuti estis, eiusdem facta intueamini, Virtutes amplecti-
mini, vitam piè transactam imitemini, atq; hoc tam subito la-
psu incitati, discite in hoc inquieto ac turbulento salo commo-
randi vobis non habitandi esse domicilium. Vitam hanc, vel vt
verius dicam iactationis ac periculi plenam nauigationem, mili-
tiam omni ærumnarum ac laborum genere exercitam, inexhau-
stam molestiarum vndiq; succrescentium segetem tanti facite, vt
de ea, cū Deus voluerit ponenda sæpissimē cogitetis, nec
vt in ea diu maneatis, sed vt ex ea feliciter migretis omni
studio contendite. Mori siquidem humanæ fragilitatis
est, benè autem mori & æternæ tranquillitatis
portum assequi, diuinæ cuiusdam
felicitatis.


STANISLAI ILOWSKI
IN OBITVM GENEROSI
ADOLESCENTIS NICOLAI
SZYMANOWSKI

O D E.

MUltis fleta quidem sunt tua funera,
Vni præ reliquis, sed mihi maximè,
Flendus care iaces; solus ego tua
Sensi fata, meas tu quoq; solius
Agnoscis lachrymas & querulos sonos:
Communes alii dant gemitus tibi,
Quos humana iubet fors dare cuilibet,
Tot crescit meus at nominibus dolor;
Nam cum gente mea, cum celebris genus,
Cum præltans iuuenis corpore, menteq;
Cum morbo subito, nec patrio solo
Occumbis, sociis triste gementibus,
Vni hæc iure forent flenda mihi omnia,
Vnum at tot lachrymis qui sat erit caput;
Præsertim rapiat cum sibi me integrum
Contractus teneris à pueris amor,
Firmatus toties experientia,
Vsu, ac officiis tot socialibus,
Quæ vel vita eadem vel studium obtulit:
Hic hic me gemitu nec Niobe suo
Lugubri, lachrymis nec PHætonias,

B

Nec



Nec Progne querulis exuperet modis,
Nunquam sic Pylades nato Agamemnonis
Coniunctus fuerat, tu veluti mihi,
Hæc quo grata magis, commemoro mihi,
Hoc me plura loqui sæuus Amor vetat,
Maiori lacerans viscera vulnere.
Testabor melius proinde silentio,
Quæ verbis nequeunt pluribus exprimi,
Hoc quod pono tamen Mnemosynon, tuum
Nomen, temporibus nobile posteris;
Seruabit, studium in te pariter meum.

MEIVSDEM EPIGRAMMA:

Multiplicis studui motus, stabilisq; quietis,
Naturam primum, noscere principium.
Iamq; expertus eram varii discrimina motus,
Vera tamen prorsum est nulla reperta quies:
Tunc Mors; ò iuuenis potes hic sperare quietem,
Nec mundi facies est tibi nota vagi?
Lubrica nec nosti quanto vestigia casu
Præcipitat, technis illaqueata suis?
Per me ne dubita dabitur requietis origo,
Concedo dixi, dixit & illa, veni.

*LVCÆ KRASNODOMSKI
SVAVIS AGON.*

Lethalis

Lethalis dum Nicoleon depascitur ardor,
Languentes artus nec medicina iuuat,
A superis quærenda, inquit, noua pharmaca vitæ:
O Diui faciles nunc precor este mihi,
O tibi gratorum Virgo Patrona clientum,
Stellaq; seruandis vnica nauifragis,
Virgo poli lux iugis & aspectabile sydus
Virgo solamen, præsidiumq; meum,
Te colui, primisq; tuo, iam lætus ab annis,
Addixi studio, nomen, & obsequio.
Et teneras fudit lachrymas puer indigus artis
Reginam implorans sæpe gemente sono.
Ad tua suspirans sanctissima nomina supplex,
Maternam votis sum veneratus opem,
Rebus in aduersis mihi tu suauissima, portus
Quolibet in casu, dulce leuamen eras.
Nunc ades o mater, tantæ in discrimine luctæ,
Clementesq; oculos ad mea vota refer:
Da Duce te vincam duri certaminis hostem,
Addictus castris, miles & ipse, tuis.
Lassatum sudat pectus, mens ægra labore
Mortis ab ancipiti pondere pressa gemit:
Aspice me, vultumq; tui mihi pande benignum
Filioli, placans iudicis ora Dei.
Da precor in sacris gratam reperire quietem
Vulneribus IESV visceribusq; mei.

Vivere iam terris pertæsum est, vivere nato,
Sim licet immeritus, da mihi posse, tuo.
Tu quoq; semper eris mater mihi carior, & te
Præcipua post hac religione colam.
Vitam non moror hanc mortalem; prospice menti,
Dans immortalis limen adire domus,
Nec mora, criminibus sese expiat, atq; trementi
Angelicas ardens excipit ore dapes,
Néue quid vltici superesset ab igne piandum,
Vis olei sacri membra peruncta leuat.
Interea grandi languent precordia pugna
Intimaq; effrenis percoquit ossa dolor,
Somnus abest tarde succrescunt tædia noctis
Morborumq; seges multiplicata subit.
O quàm forti animo morbi luctamen acerbi,
Pondus & impositæ, sustulit omne, crucis?
Num verbum querulum commoto fugit ab ore?
Vlla vel impatiens signa molesta dedit?
Sæpe solent alios turbare leuissima quæq;
Sæpe mouet bilem musca superuolitans,
Suavis at ille fuit, semperq; æquabilis, vnum
Quolibet in casu visus habere modum,
Defixus cælo tantùm permisit habenas
Cælesti medico sponte, deditq; manus,
Te penes arbitrium vitæ est, mortisq; potestas,
Quò me cunq; vocas optime pastor eo.

O quoties

O quoties imo duxit suspiria corde,
O quoties lachrymis immaduere genæ,
O quoties celsi curâ suspensus olympi,
Auersos oculos sydera ad alta tulit,
Fœlicem memorans patriam, ciuesq; beatos
Atq; incorrupto mœnia structa solo.
O quoties dixit, videam te dulcis IESV,
O quoties IESV nomen in ore fuit.
O quoties quando misero me corpore solues,
Quando, inquit, tecum, non moriturus ero?
Liberat heu quis me conclusum carceris umbris?
Quis dat cum Domino protinus esse meo?
O quoties tecum submissa voce locutus,
Hauit delicias CHRISTE benigne tuas?
Finis adest, tu finis eris tu meta laborum,
In te languenti sit mihi parta quies,
Tempus adest summum, transacti terminus æui,
Ne statue amissi temporis esse reum,
Mens trepidat, validusq; trementia concutit horror
Membra, fuga è gelido pectore sanguis abit.
Quid dicam, quoue experiar discrimine iudex,
Iura tribunalis non reuocanda tui?
Quæ consternato penitus tunc terra dehiscat,
Quas mihi tunc latebras antra profunda dabunt?
Inueniamne vllum qui gestam ex ordine causam,
Subleuet irati iudicis ante thronum?

An



An potius nullas accingi proderit artes,
Vlla nec eloquio vis, opibusq; subest;
Quo mens ægra ruis, miseram quæ cura fatigat,
(An tua me terret fraus malesuada Draco?)
Aspice mirifico ditatum sanguine lignum,
Aspice dilecti pignus, opemq; tui,
Aspice manantem vitali flumine lympham,
Latèq; extensas ad tua vota manus,
Et desolatis patulum latus; aspice sancta
Vincula, cælestes, quæ tenuère manus
His te deuinxit sponus tuus, Omnipotensq;
Mortali dextræ, dextera, iuncta tuæ est.
Hem quo pacta fides? num te fidissimus ille
Deseret? aut ipsa morte negabit opem?
Quid timeone mori? nec me melioribus ausis
In spem sublimem sollicitabit amor?
Dixit; & amplexu sacram veneratus amato
Effigiem, fessos edidit ore sonos;
Nunc te sub tali contemplor imagine, tu mox
Complexu facias vberiore frui.
Iam vi lethalis soluuntur frigoris artus
Imaq; perfractus deserit ossa calor.
Nec iam sufficiunt voces. Nam pectore toto
Pergravis incumbens humor inersq; sedet
Quæ potis est signis I E S V testatur amorem,
Quæ vultu, vultus testis amoris erat.

Quippe

Quippe nec os nec lingua sonat, te suavis IESV
Ille tamen ; quantum fas, & hiando sonat
Ultimaq; informat verbo spiramina dulci
Atq; salutiferum nomen in ore tenet.
Donec ad extremum placidè composita reliquit
Membra locum repetens spiritus æthereum;

EIVSDEM

VERA PHILOSOPHIA.

C Hare Szymanovvi studiis iunctissime nostris
Nunc ego te dicam iure Metaphysicum
Haftenus obscura noras sub imagine mentes
Corporis expertes spirituumq; loca
Nunc meliore statu iam tu quoq; corporis expert
Omnia detecta mente videre potes
Et loca quæ fuerant animo non peruia acuto,
Fœlici semper sub ditione tenes.
Scis quis in Angelicâ naturâ splendor, honosq;
Nosti spirituum dulcia colloquia
Et quod lætitiâ longè supereminet omnem
Æterni fœlix aspicias ora Dei.
O vtinam nobis qui nunc speculamur in vmbra
Tam detur veris esse Metaphysicis.

ELIÆ BOGDASZEWSKI
IPSAQ. MORTE PEIOR EST MOR-
TIS LOCVS.

SVspiras, imoq; trahis de pectore voces,
Heu, eheu, querulis ingeminando modis.
Eccur? præcipiti pede limina nostra recurfans,
Fors mihi securo spicula Morta parat.
Morsnè malum? dubitas? viden' vt ceu tristis Hyçna
Non curans quis sit, virnè, puernè, rapit;
Extinguit decus, ingenium, cum stemmate famam,
Quidquid & in precio mundus habere solet.
Mortem horres? mortis prauæ loca nonnè pauescis?
Est mala mors, mortis peior at ipse locus.

ANDREÆ CZESKI
SCIRE MORI MAGNUM EST.

INcepi tecum, tecum finire nequiu
Care Szymanovvi, currimus impariter.
Lecta mihi toties auditaq; lectio tecum.
Scripta mihi toties & repetita fuit,
Non ita profeci: tua iam sapientia summos
Exuperat cælos; at mea serpit humi.
Si tamen & serpit, quæ tu scis forsitan horum
Nec tenuis mentem pulsat imago meam.

O' vtinam

O vtinam saltem sic vt tu debita rectè
Mortis ad aduentum pensa parare sciam.

IOANNIS NIEKRASZEWICZ
LOCVS QUIETIS OPTIMVS.

Terra immota manet, Sol fixus in orbe mouetur,
Et vaga Luna suis itq; reditq; viis,
Et tamen immotæ nulla est constantia terræ,
Est eadem cælis maxima mobilibus,
Non permutato voluuntur sydera cursu,
Atq; dies stabiles lucifer almus agit,
Hic vero variis miscentur cuncta procellis,
Grata quies nullo stat bene tuta loco,
Terra quiete caret cælo pax alma tenetur,
Debita cælicolis, inuida, & terrigenis.
Viderat hoc cælumq; ardenti pectore spectans
Talia Nicoleos iam moriturus ait:
Quam mihi terra negas quamuis immota quietem
Astra licet currant irrequieta, & dabunt.

THOMÆ MAMCZYNSKI
EMBLEMA.

Oceani fluctus, dum sulcat cymba furentes,
Dumq; petit littus, fracta repente perit

En placidum, Sophiæ Szymanovvi fluxa phaselus,
Post curas, portum iam subitura, ruit.

EIVSDEM

ECCE NVNC IN PVLVERE DORMIAM.

Sydereos cursus, numerum, vacuosq; recessus
Dum peragro; celsi mors truculenta tibi
Naturas rerum, ingenio causasq; latentes,
Dum capere intendo, me capit vrna leuis
Hic igitur præstat lassata quiescere membra,
Cœlesti inuigilat, dum mea mens Sophiæ.

NICOLAI MADALENSKI
MANET POST FVNERA VIRTVS.

Quam cita inest mutatio rebus!
O quam cursus celeres æui!
Quam fluidas variabile tempus
Ducit equis pernicibus horas!
Heu quam subito rapuere aureum
Iuuenem Mortis ferrea iura
Ecquis molles teneat lachrymas?
Quis rorem oculis neget humentibus?
Luctum tu Deus aspice nostrum,
Cuius virtus dominatur mari,

Cui

Cui cerno polum ludere clarum,
Et vaga picti sydera mundi.

An verò expectare dolorem

Potuit quis tantum? modoferre
Poterit quis? Deficiunt vires,
Languor pressos occupat artus.

En vt patulis renitens campis

Flos rigido succifus aratro;
Vtq; virens in mollibus hortis
Vnco rosa pollice demessa;

Sic cadis o insigne iuuentæ,

Cadis o vitæ exemplar honestæ,
Cadis almæ pietatis imago,
Cadis eximii norma decoris.

Hæsit Virtus aurea cordi,

Probitas, mirus pectore candor,
Et sanctæ demissio mentis,
Hac fama decoratus abisti.

Virgo ætherei Regina Poli,

Cui semper fuit vnica cura,
Illa tuo gratissima cordi,
Illa tuo suauissima in ore.

Prò quantus fuerat vultui decor,

Quanta disertæ gratia linguæ,
Stupet attonitus chorus Aonidum,
Hæret iuuenum studiosa phalanx.

Obsita

Obsita lachrymis squalent lumina,
Carmen Musæ flebile & dicunt.
Thræciam quoq; pulcher Apollo
Cytharam ponit gemitu stratus.
Castalio cessat in ore & liquor,
Requierunt Parnassides undæ
Et Sophiæ sublimis acerbo &
Ingemuit domus aurea luctu.
Linquite tandem, iuvenes optimi,
Querulos fletus, potius dicite;
Ossa cubent, mens sydera repetat,
Laus maneat, mancant & facta.

NICOLAI ZALESKI
ÆTERNOS ERIGE MVROS.

Sorte vna Lachesis, fatisque premuntur iisdem &
Haud mora Therites, Endymionq; simul &
Summis haud alio blanditur more Dynastis &
Aut qui latè ostro splendida colla & gerunt
Sollicitus diues mutat quadrata rotundis
Dum pro se curat culmina celsa strui.
Sæpius excelsæ quatiuntur fulmine turres
Semper & alta magis turbine tecta ruunt.
Ut tutus moriari ad caelos erige mentem &
Stulte nec in cassum mœnia celsa serue.

Bartho-

BARTHOLOMÆI SZUMSKI
EPITAPHIUM.

*A*duena Masouicis qui veni missus ab oris,
Hic tumulor cupiens dogmata scire Sophum:
Occubui, nihil & mortis cognoscere causas,
Et longæ vitæ profuit, occubui.

BARTHOLOMÆI PLAVKOC
OCCASIONES MORS OBSERVAT

*A*stiterat Parcis vultu truculenta minaci
Nosceret mors cupiens quid sibi fata velint,
Tum brevia aduertit SZYMANOVI stamina clari
Ac aliquid fufis vix superesse videt.
Protinus exultans pleno hæc è pectore iactat:
Non est cunctandum sed celerare libet.
Si Diuæ iuueni fatales ferre recusant
Vitam, si properant vltima fida dare;
Cur armata moror penetrare cubilia tandem,
Florentis iuuenis? cur mea iura iacent?
Dixit & extemplo mæstos ingressa penates
Vibrata subito falce, peregit opus.

GEORGII IVRGEWICZ
MILITIA EST VITA HOMINIS.

Si

Si grauis incumbit patriæ sub mœnibus hostis
Sedulitas veri militis istud ager :
Immotus propria semper statione manebit. —
Non vnquam cedit pectore cura vigil :
Ignauum molli depellet mente timorem. —
Securumq; alacer pectus in arma feret. —
Hostis adest grauior mors aspera prouocat omnes
Hostili iuuenis sternitur ecce. — manu.
Tu non segnitiem tardo de pectore pellis. —
Nec quæ maturè sunt facienda paras ?
Quæ sic peruigiles nullo discrimine sternit. —
Non insane tuum cædet inerme latus ?

ALBERTI SZYMONOWICZ
IN CERTVM MORTIS TEMPVS.

Ecquis lætitiæ modus,
Mortalis, dabitur tempore mobili ?
Viuis cur fluidæ immemor
Vitæ ? nec reuocas tempora lubrica,
Incertum tacito pede. —
Cum tempus volitet : nec volueris dies
Stet, sed gentibus insciis
Intentet variis vulnera spiculis,
Cedet forma, decus, iocus,
Cum vis sæua graues iniiciet manus,
Cultoris

Cultoris Sophiæ vigor
Si iussu rigidæ succubuit necis.

IOANNIS SOKOLII
QVOD CVPIT HOC METVIT.

HÆsitat & metuit mortis gustare dolorem,
Gaudia mortalis dum tamen alta cupit,
Atq; metu mortis, quam non vitabit, amaræ,
Dulcia contemnit, gustat acerba libens,
Quod cupit hoc metuit, quod non vitat, cauet, & quo
Necquidquam timidus, cedere debet, amat.
Quid metuis? duris semper quæ dulcia septa,
Sumitur effracta, nucleus vsq; nuce.

LVCÆ BRZESTOWSKI
CONTEMNIT MORTIS STRENVVS
IMPERIVM.

QVem iuuenē recubare vides Mors strauit iniqua
Hæc memorando tuam quæso reuolue vicem.
Æmula cum soleat captum præscindere cursum,
Ne piger infulsè grande moreris opus.
Certamen faciat Virtus coniuncta labori,
Strenuus vt spoliū mortis habere queas.

Nicolai

NICOLAI PIERSZKO
VERTITVR IN CINEREM CINIS.

CVr mortalis homo mundi dum visceris aura
Non animo voluis quæ sit origo tua. ॥
Siccine ad incertum stadio decurris in isto
Nec curas quem sit fas tenuisse scopum,
Vis referam? dictum breue, sed graue mente reponere:
Puluis origo tibi, metaq; puluis erit.

GASTARIS KAMIENSKI
HODIE MIHI CRAS TIBI.

CVr fugis, heu, funus, mœstum & deforme cadauer,
Cur auersa à me corda proterue geris.
An quod crudelis mea stamina Parca reuulsi. ॥
Quod color in turpem candidus oris iit. ॥
Hoc tibi cras fiet nec res est certior vlla. ॥
Frustrà ergo similem, tu moriture. ॥ fugis.

NICOLAI SWARACKI
MORTEM NON SVPERAT METVS.

Nectareo haud vlli profunt de, pharmaca, flore,
Haud vires medici causaq; nota iuuat,
Omnes mortali cum sint de sanguine creti,
Omnes accelerant mortis adire gradum.

Non

Non igitur trepides, quod non vitare valebis,
Integer at fatis obuius ire et stude.

PARAPHRASIS MORTIS.

Mors ego mors properans mortales ducere tendo,
Non ad mortalis limina certa via.
Sæpe meum nomen memori qui mente reuoluit et
Hunc hilari facio scandere fronte polum et
At qui nummosa et pectus deponit in arca et
Squallentes Orci tristis adibit et opes;

ANDREÆ HERNEST MEMORARE NOVISSIMA.

Quattuor edicit Sapiens extrema futura et
Sæpius hæc sana voluere mente iubet.
Pallida Mors primos aditus sibi vendicat, orbem
Iura per immensum non violanda struens.
Iudicium sequitur per quod discussa manebunt et
Crimina, nec poterit grande latere nefas.
Inferniq; subit posthæc miserabile nomen et
Quo Iudex lapsos præcipitare iubet.
Gloria cælestis qua nil fœlicius vnquam et
Pro meritis dabitur, si qua fuere, bonis.
O miseri quantum patiemur dedecus olim,
Si spes à regnis excidet æthereis.

D

Ioannis

IOANNIS MILECKI
VIRTUTEM SEQVITVR GLORIA
FIDA COMES.

MOestos Iuuentus quid celebras modos?
Quid lachrymarum flumine tristium
Genæ madescunt cur nitida decor
Omnis serenus de facie perit.
Occumbit eheu Aonium decus
Eheu Mineruæ gloria corrui
Fugit sacri splendor & ordinis
Et lux Stagiraæ aurea curiæ
Ceu vere pulchro quando sub æthera
Ornata ramis & viridi coma
Se tollit arbos, latiq; frondibus,
Ferro colonusquam rigido ferit.
Maturus vsu rerum erat omnibus,
Fauore magno cultus & agnitus,
Ipsiq; carus cælicolum Patri
Laudatus omni tempore vixerat.
Virtutis acer qui studio sacrae
Inseruiebat, Relligionis &
Cultor probatae saepe modestia,
Præclarum aperto dans specimen modo.
Hunc sancta Mater Concilium in suum
Legit, sacro præcipuum sinu

Fouit

Fouit, Senatus maxima pars fuit,
Nimirum honesto præiit omnibus.
Musarum alumnus sedulus arduis,
Rarisq; vixit dotibus ingeni,
Euenta scrutans vimq; latentium,
Rerum, & occultæ dona scientiæ
Prudens, peritus, dulciloquus, pius,
Fauore, lingua, magnus erat, supra,
Votum fluebant omnia prospera;
vis viuïdo non corpore desuit.
Graui ruina nunc subito obrutus
Fluctuq; mortis, nil nisi putridum,
Iacet cadauer, non manet amplius
Oris venustas aut vigor ingeni.
O dura fata, & spes hominum leues
Ecquis iuuentæ crediderit suæ?
Quis fidat auræ, quis vel honoribus?
Cum mole quæuis tam subita ruant.
E stirpe clara tum proavis fatus
Clarus vetustis en SZYMANOVIUS
Spes magna mœstæ, spes Patriæ, nefas,
Fatis coactus præproperis cadit.
Non forma vultu sub roseo nitens,
Non robur ingens proderit Herculis,
Doctrina si non eripitur neci,
Omnes ad vnum fors eadem manet!

Velut secundis dum vehitur nothis
Nauis profundo gurgite pernatans
Quam turbo versis flatibus irruens
Tutam, procellis obruit inuidis.
Sic fata mentes, sic studia & vices
Taxant, & ipsi dissimiles sumus
Tunc gestientes lætitia è tuo
Aspectu, amaris nunc gemimus genis
O ter beatus venerit vt dies
Fati supremus non remeabilis,
Haud imparatum spicula ferrea
Lethalis arcus percutient virum.

MARTINI RAVENSIS
VIA LETHI FACILIS.

Omnibus est facilis mortis pronusq; meatus,
Ingredimur certa conditione vias.
An rarus qui limen adit? vestigia nunquam
Cessant signati puluerulenta soli.
Febre Szymanovvius cadit has deductus in oras
Inceditq; recens per peregrina loca.
Non ibi solus erit, nec iam valet aduena dici,
Iam tot habet fratres quot tetigère scopum.
Nos non excipimur nec nos via fallet euntes
Dant facilem cursum, mors fera, vita leuis.

Nicolai

NICOLAI SZYSZKOWSKI
MENTIS DONA BEATÆ.

MEntem quæ faciunt beatiorem,
Iucundissime Nicolæ iam scis,
Lustrabas animi hæctenus vigorem,
Naturam celeresque functiones
Mentis corporeo insitæ locello,
Quisue eius status esset exeuntis,
Linguentisq; datum sibi sodalem,
Quem nata est proprio mouere nutu:
Quid mortalibus exoluta vinculis
Carnis posset agendo: quod perennem
Vitam duceret inciens pericli,
Non obnoxia casibus futuris,
Hæc tecum speculando disputabas
Solerti ingenio mouens acuta,
Argumenta, latentibusq; inhærens
Nodis difficiles rei recessus,
Et dissoluere & explicare noras,
Nunc fœlix meliore notione
Illustriq; magis modo sciendi,
Absq; errore vides opinionum,
Sed felicior vteris beata
Cæli spirituum sodalitate,
Felicissimus in Dei potentis
Obtutu hic requies & æuiternus,
Fructus lætitiæ præeminentis.

BARTHOLOMÆI WIDZISZEWSKI

SVRGE PROPERA.

Sic igitur nobis Szymanovvi dulcis in ipso
Ætatis primo flore repente cadis.
Tunc cadis? nobis certè cecidisse videris,
At tibi tu moriens surgere visus eras.
Verè surgebas, nam te mortalibus omnes
Exutum curis vidimus astra sequi.
Vidimus & tota sublatum ad sydera mente,
Intentum cælo cælituumq; modis.
Ardentemq; siti properare ad fluminis vndas,
Fluminis, æterni quod rigat arua soli.
Quo desiderio sectanti elapsus ab hoste
Cervulus, egelidę stagna requirit aquæ.
Vidimus erectum magno in discrimine pugnæ,
Hostiles animum, spernere ritè dolos.
Vidimus armatam donis cœlestibus, & vi
Sydereæ fultam, non titubare fidem.
Vidimus insignis patriæ dulcedine captam,
Spem, velut apprensus exiliisse bonis.
Vidimus illustris virtute ardoris amorem
Febribus accensas exuperasse faces,
Auectumq; adeo secum super æthera sensum,
Non fuisse suis inuigilare malis.

Vt sic

Vt sic liberius sibi mens iucunda vacaret,
Defuncta afflicti corporis obsequio.
Vnde & mellitæ gratissima dona quietis
Fluxere, & placidus quæ bona portus habet.
Paxq; super captum, super & mortalia corda,
Et quàm conniti possumus ore super:
Vidimus augustæ studium crucis, & patiendi:
Vidimus æternas integritatis opes,
Vidimus ante alias submissæ mentis honorem,
Vidimus auratæ iura pudicitia,
Vidimus excelso subnixum robore pectus,
Vidimus optatæ munera lætitiæ,
Vidimus, edocti, quantum Constantia possit,
Quantum propositis cor animare bonis.
Vidimus hæc: utinam te olim videamus, & illic
Simus, vbi tu iam talia plura vides.

EIVSDEM
VIVE.

Non morior moriens, studui nam vivere vivens:
Vivito dum vivis, vivere quisquis amas.

ANDREÆ SOMOROK
POST VITAM VITA.

Vixi, non vito, non vixi, vivere cœpi.
Sat vixi terris, iam mihi vita Deus.

Simonis

SIMONIS PRVSKI

SPEM FVGE VANAM.

QVando stagirgos Vilnæ consector honores,
Eripuit vitam mors inimica mihi!
Spes mea longuæ spectabat sæcula vitæ;
Spem præciderunt tristia fata meam. —
Et tu deciperis longi si temporis vsum —
Fœlicesque dies, polliceâre tibi.

MARTINI MERECENSIS

EMBLEMA.

Cernis, æstiuâ violam, coloni —
Falce, prostratam niueum colorem —
Perdere, & fœdam propria relicta —
Sumere formam.

Vita — currentes imitatur vndas,
Et leui fumo nebulæque compar —
Quæ perit vix orta fugante sole,
Transit in auras.

Non roges quid falx igitur requirat,
Quid solo gramen — doceat repostum,
Ritè sed viuas, in opina ne mors
Mancipet orco.

Christo-

IACOBI SZYMKIEWICZ

DEFUNCTVS.

I Risti condor humo, sociorum turba valet
A' vobis iterum non rediturus eo.
Si cui carus eram, vel si quem forsan amaui,
Optatam misero fer miseratus opem.
Non peto diuitias, nil hæc post funera profunt,
Sed qua placetur numinis ira, precem.
Nunc à defuncto postrema hæc accipe verba:
Ritè mori exoptas, fac modo viue benè.

MELCHIORIS DIAUGIALO

MORTIS INEVITABILE LITIVS.

E Mensus Sophicum pelagus ferè proxima ab alto,
Signabas animo littora prospiciens.
Iamque propinquabas metæ, portuque potitum
Donatura suo Pallas honore fuit.
Ecce tibi portus subito alter & altera meta,
Occurens alio sistit in orbe ratem.
Fœlix forte tua cui tractu protinus vno
Finitur studii cursus, & exilij.

ALBERTI RADZIMINOWICZ

DISCE MORI.

E

Care

Care Szymanovvi iam me tua vita docebat
Quam vis mortis erat grata futura tibi.
Sed multo docuit nunc mors tua plenius omnes,
Quam fuerint vitæ candida facta tuæ.
O vtinam nobis talis vitæ exitus esset,
O vtinam cunctis tam pius esset agon.
Non ita mors possit miseris violenta videri,
Summa nec vsque adeò displicuisse dies.
Non ita stultus amor terræ vesana teneret
Corda, nec in pretio vita caduca foret.
Vitam mortales conformem ducite morti,
Et benè, (si timor est) discite posse mori.

ADAMI BILDVCII

EMBLEMA.

Quæ quondam ætherei conuexa tenebat Olympi,
Dædalea mirè structa columna manu.
Dum valido intorquet saxum Thyrinthus ictu,
In percussorem tela retorta iacit.
Nicoleos perstat suprema firmus in aula,
Quid vanos ictus mors truculenta iacis?
Vulnus tolle tuum, quod tela retorta dedere
Disce nihil iustis posse nocere viris.

Ioannis

IOANNIS RVDOMINÆ
TERRA VALE.

Multa super cælis, animiq; quiete, Sophorum
Dogmata Nicoleos dum meditatur, ait.
Ecquid humi repo cæli regionibus ortus?
Cum peto foelicis tecta beata domus?
Nato animo cælis angustum quis negat orbem?
Quis patriæ durum præferat exilium?
Experiar dudum quæ sum commentus, abibo,
Astra petam — placido funere, terra vale.

STEPHANI HARINAY
MORS NON CVLPANDA

Accepi mentem è cælis, hanc astra reposcunt,
His nunc acceptum reddere iurè volo.
Corpus terra dedit, producto alimenta parauit,
Hæc rursus repetens sub sua tecta refert.
Cur mors ergo rapis me? aut quæ te præda manebit?
Ex me nil habeo debita soluo libens.
Tu tamen & morbis pugnans, & funere sæuis,
Iam scio, iustitiæ es iusta ministra DEI.

CHRISTOPHORI TISZKIEWICZ

PALEÆ.

E ij

Conspicis

Conspicis vt paleæ subito rapiuntur inanes
Dum vaga vel leuibus flatibus aura sonat
Sic omnes rapimur sic nobis vita recedit.
Vnde minus speras inde repente ruis.

ANDREÆ LAVDANSKI
VITA TUTVS ERIS BONA.

Vitali quisquis moriturus vesceris aura.
Æternum vt possis viuere, viue benè.
Nec mundo instabili, carni nec fide rebelli.
Dæmona sperne, Deum dilige, tutus eris.

IOANNIS LANCKORONSKI
HOMO BULLA.

Non secus ac liquidis dum bullula crescit in undis
Vix producta perit flamine tacta leui.
Sic mortalis homo vastum vix prodit in orbem,
Cum fera mors miserum sub sua iura trahit.
En modo Nicoleos magna dum cresceret arte,
Febris pestiferæ turbine raptus obit.

AVGVSTINI SNARSKI
CRAS.

Imprudens

Imprudens qui cunque parat tunc semina primum
Quando iam fuerat falce secanda seges.
Demens infirmus qui tunc medicamina quærit
Dum medicam frustra faucius optat open.
Insipiens miles qui tunc sibi comparat arma
Dum capiti fixum vulnus ab hoste tulit.
Et tamen inuenias multos qui viuere rectè
Exoptant, quando mors inopina premit,
Viuendum rectè est maturè: dicere noli
Cras faciam, multis cras tulit exitium.

CHRISTOPHO I KIERSZCZAKOWSKI.
VIDE.

Omnis homo in auras prodit, iræ filius,
Flebilis & exilii reus
Hæres nefandique sceleris.
Vnde tumor ergo? culpa cui conceptio,
Pœna grauis est nasci, labor
Vita, & mori necessitas.
Inanis est decor hominis, salus leuis
Vana omnia, nihil vanius
Homine, inter omnia inania.
Præsentis alludit magis dum gloria
Vitæ relinquit. Quid? fugit.
Quid ais? nec ita, sed deperit.

Ex homine

Ex homine foedus vermis, ex verme est cinis,
Ex cinere homo, ad flammā aut thronū.
Heu Heu inanis gloria.
Quæso referto extincte, iamq; fatide,
O Nicolae, flos decem
Vix ante luces, vbi decus.
Forma, color, alacritas, vigorq; in corpore,
Vbi iam tua scientia,
Opes, amici, patria.
Nec hoc referre sufficis, nihilo minus
Silentio loqueris tuo,
Omnis homo foenum, & vanitas.

HIERONYMI BIEGANSKI
EMBLEMA.

More leuis volitans iaculi vestigia nulla
Linqvit in inciso vasta carina freto.
Vitæ exemplar habes humanæ; quæ simul Euros
Vincit & Euripos mobilitate sua.
Et simul è vasto labetur concita mundo
Nec leuib; signis inditioue patet.

PETRI GRANCKI
EXILIVM PLACET EXVLIVS.

Vnde

Vnde dolor tantus? nec habet querimonia causam,
Siquæ caret causa non erit iste dolor.

O miseri vestros potius deflete. & labores

Quod si cogit amor flere, studete sequi

Et vos mortis amor teneat medicina dolorum.

Displiceant vitæ munera fluxa breuis,

Tum celeri ad metam studio contendite, nil sit.

Gratius extremæ quàm meminisse viæ.

Nuncius ille aures feriat gratissimus vnus

Qui feret æternum non procul esse diem.

Quique propinquantis certissima limina fati.

Prorsus & in foribus dicet adesse Deum.

Netaque narrabit duris fatalia Parcis

Stamina, & in fuso nil superesse leui.

Hæretis? miserum est in luctu quærere luctum

Velle, malumque nouis accumulare malis

Quid facias? placet exilium illætabile & atri

Carceris insanus pectora figit amor.

ALEXANDRI SLVSZKA

SOLAMEN.

Parcite iam lachrymis mæstos compescite luctus.

His potius fatis quilibet inuideat.

Hactenus inter vos vixi moriturus, ad æui

Afferius vitam, non moriturus eo.

Ioannis

IOANNIS BIEDVICII.
CITO PEDE LABITVR ÆTAS.

Discito qui dubitas cur sol exurgit ab vndis
Et cur parte alia mergitur Oceano?
Vt tu mortalis cæli dum vesceris aura,
Semper ad occasum te properare scias,



